

in omnibus conjugationibus radices quælibet sint usitatae, & deinde variant pro varietate conjugationum etiam significationes: ubi præterea in verbis adhibeant aliquot exempla ex probatis autoribus, et ostendant constructionum modos, varietatemque; subjiciant protinus nomina inde oriunda cujuscunque formæ, unà cum usitata specialiore significatione ejus verbi. Quæ omnia cum à me hic omittantur, & solæ radices characteribus arabicis ponantur, subjunctis solis versionibus in prædictis tribus lexicis occurrentibus, videri iis possem minus utilitati lectoris studens. Quibus nunc quidem, & si quæ alia multa occurrere possunt, placet hæc sub-
 bicæ cum ebraica, chaldaica & syriaca, & propterea quoque non posse in lexicis his & illis idem observari ordo, modusque. Nam in lingua ebræa una duntaxat sunt biblia, unusque liber authenticus, in cujus linguam, partem veræ perfectæque millesimam, facile est conscribere lexicon, & diligentia facilius absolvit propositum, minusque titubare potest. At verò idem præstet mihi aliquis intra decem annos, ubicunque locorum vivat, ut eadem proportione, quâ in biblia ebræa lexica jam multa extant, sic in totam linguam arabicam, & non dicam omnes, plurimos tamen ejus auctores lexicon æquè completè conscripsisse dici jure possit. Et erit mihi magnus apollo. Nam quid quæso dum autorum adhuc editum est? Si unum demas avicennam, de reliquis non est, quod linguæ causa multum gloriemur. Grammaticulæ quædam, geografiola, & aliquot versiones euclidis, pentateuchi, N. T. psalterii, imò, bibliorum integrorum, & cebetis pythagoræque. Concedam & totum illud versorum ex græco in arabicum chaos, totum hippocratem, galepum, platonem, & quinquaginta alios. Exinde non poterimus admodum lætari, veluti de vero arabismo: cum & malè intellexerint autores græcos, & verterint eosdem minus benè arabicè: cum nunquam æquè purè versio latina procedat, etiam latinæ peritissimo, uti stylus ipse fluit. Planè alios opus igitur fuerit autores arabes habere æditos, antequam ex iis utilia lexica conscribere velimus. Adde quod facile erat in biblia ebræa & reliquas linguas id efficere, cum concordantiæ à judæis dudum essent elaborate, quæ ipsæ lexicis instar erant: & in syriacis, chaldaicisque pauci quo-

4